ΠΟΙΗΜΑΤΙΟΝ

HONORARIVM, NOVO PALATINO VILN.

Illustrissimo Domino

D. IOANNI CAROLO CHODKIEWICZ, COMITI

in Szklow, Mysz & Bychow, M. D. L. Exercituum Generali Praefecto, Gubernatori Liuoniae, Derpatensi, Luban. Velon. Capitaneo. &c.

NOVAM SVAE DIGNITATIS SEDEM AVspicatò primum adeunti,

Cognatae obseruantiae ergò D. D.


Academicus humaniorum literarum cultor,

IOANNES HORSKI.

ANNO DOMINI. 1617

ArchIstratege aDeas MerItos, ReX aVget, honores

VILNAE. In Typographéo Acad: S I.



Grypha gladifer, COMITIS decus est à Cæsare partum.
Protegit & Litauos CAROLVS ense suos.
Cum Cruce calx, iaculum, fortemq; piumq; loquuntur:
Tres galeæ ac fluuij, tres in Honore gradus.
Gemmifer ales & W Vilnam Venit alite fausto.
VILNA PALATINO plaudit ouatq; nouo.

AD EVNDEM ILL. D. PALATINVM.

PAtere Illme. Dne, secundùm publicas Regiæ vrbis Vilnen. magno Lithuaniæ nobilioris concursu, tuo, sui optatissimi PALATINI, aduentu summè gestientis ac propè triumphantis gratulationes; secundùm festas & faustas Academiæ, tuæ olim altricis, acclamationes; meas pariter, priuati quanquam & crescentis adhuc vatis; tibi tamen, Illmæ. DUCISSÆ ZASLAVSKA, tuæ promaterteræ sanguine deuincti, humirepas Hederas, tuos ad laureatos postes, adserpere. Numerosos illę literarii Honorarii non ponderosos, prætendunt capreolos, Fauoris tui adminiculũ leni prænsãtes annisu. Te admittente, fulciente, fouente, vigorem se virorem, decorem perennaturas, nullæ prorsus dubitant. Diuturniorem sanè sibi pollicentur auram; atq; illa sacri vatis Ionæ HEDERA, quã vnius thripis arrosu, vna nox emedullauit. Neq; enim liuidi cossi, victricem tuam Laurum reueriturí, ad meas audebunt, opinor, se penetrare latenter, quas tibi patenter sacratum eo, HEDERAS. Vale Mecœnas ornatissime clientiq; TUO, TUI honoris studiosissimo faue.

I. D. H.

HONORARIVM.

IN noua fert animus, Dirces agitante co-
(rymbo,
Gaudia lætificosq́; tuos, Gediminia, plausus
VILNA, PALATINIq; noui celebrare curules,
Inscriptasq́; cedro venientibus edere seclis.
IOANNES CAROLVS COMES, Illustrissimus Heros,
Chodkieuicziades hic, dignus honore supremo;
Dignus adornari graphica arte, superstite cedro.
Nempe caret carie, vel edace teredine cedrus.
Quæ cedrus illa? Typographice; pulcerrima rerum:
Immortale tuum, bone Guttemberge, repertum;
Sepia cùm bibulæ, Prælo subigente, papyro
Mansurasq; notas inarat, vocesq; loquentes,
Vulgat & à pluteis uigilata volumina doctis;
Eq; laboratas orbi communicat artes;
Fortiaq; Heroum dat emenda NEpotibus ausa,
Atq; imitanda pari, per aperta pericula, nisu.
Culto ARS ore cani, multo ære ARS digna rependi.
Loligo tua, fuligoue oleata politis
Ingeniis parit ac nutrit memorabile lumen.
Versibus his dabis vna, negat quem Laurus, honorem.

Quan-

Quanquam, tu Cedrus, hoc æui, tuq́ obuia Laurus.
Hæc, dabis, ætatem ferat, vt malè compta Camœna,
Prompta sed illa tamē Carolinæ applaudere pompæ,
Vilna Palatinum qua sub sua Pergama ducit.
Tempus erat, quo nocturnas librante diurnis
Lance Hyperionides pariauerat Helius horas,
Ver Antarctoo reuehens formosius orbi.
Collectâ Litaui gaudebant messe coloni,
(Torrida quam tenuem largita satoribus æstas)
Frugibus eq́ nouis, sua per conuiuia, polcam,
Ad Ciceronæas, certatim hausêre, placentas;
Gaudia vimineisq́ tubis choreasq́ ciêre
Inflatis utribus, modulos edente cicuta.
Lætitiam rude vulgus agens, Respublica luctu
Improbat, vt gemino, dolor heu, viduata parente;
Tergeminisq́ tubis, quibus Aræ & castra sonabant.
Mitra pedūq́ illas, Aquila has tulit & sacra Quincrux.
Ergo Palatino Radivilo ac Præsule Woynâ
Orba iterat gemitus, querulisq́ repostulat Astra
Vocibus his; Rerum Deus ô hominumq́ repertor,
Vnice ô humanæ labis scelerumq́ piator,
Spes mea visq́ potens, Amor ô meus atq́ voluptas;
Illa ego, depulsis, Rege à Iagelone, Deastris,
Vero imbuta, tuum fero, tutor, & amplio cultum.
In me cur adeò, Deus ô mitissime, sæuis?
Saucia sum telis tot, in hoc quæ non semel anno,

 In ca-

In caput indignata meum tua dextera torsit.
Pontifici woinæ inferias vix pallida soluo,
Quem patriæ extinctum, dolor, vrbs Patauina remisit.
Rege fluentorum Eridano, Viliaq; gemente.
(Non ita deflerunt mersum Phaethonta sorores,
Vt woynam flerunt mecum fora, templa, Lycea,
Regiaq; ipsa, cui vixit charissimus, aula)
Vix huic exequias paro, vix huic mœsta parento
Pontificiq; patriq; meo, graphiceq; notatam
Flauenti ære tego cryptam; nigrantibus alis,
Niesuisio cùm Fama volans canit, Atria Diuûm
Acciuisse Palatinum Radiuilon, vt annis
promeritisq; grauem, pietatis & artis Asylon:
Cui virtus omnis fuit omni Principe digna;
Præcipuè pia cura sui, pia cura sacrorum.
Credo sacram Solymen diuini & conscia partûs
Mœnia, & ad Nilum profugi regna hospita Christi,
Quæ Princeps, pietate iter hoc vincente, petiuit,
Huius famâ obitûs æquo indulsisse dolori.
Quin Dux Astrorum, Ducis huius fata notauit
Proxima, Nesuisii trifido Sol orbe relucens,
Ciuibus incussitq; metum trepidisq; Camœnis;
Iis in Heró trepidis in fundatore Camœnis.
Namq; his NIESWISII fundauerat ille Lyceon.
Me dolor altus habet: gemino viduata Phanete
Mî videor, sine quo noctescere cuncta videntur.

Non

Non tamen est excusſa tui fiducia, non ſpes,
Alme pater: mihi tu, pulſa caligine, lucem
Restituiſſe paras; vbi tanto munere dignos
Sufficis, ereptis rerum templiq; Magiſtris.
Pontificemq; Palatinumq; à Rege ſtatutos,
Quos volui, audieram: lituis ſuccedere tela,
Tela tremenda hoſti, rerum incrementa datura.
(Pugna tubam ſequitur) ſed non ea Fama ſat omnem
Diſpellit nebulam, niſi Sol videatur vterq;
Illuſtrare ſuam, quæ mecum luxerat, vrbem.
O properate Duces, ſolamina, lumina ferte.
His aliisq; modis Reſpublica viſa precari.
Ætheris huic nec erat clementia ſurda precanti.
Namq; per Aligerum, Litauam qui pervigil oram
Protegit, Ethnarchen, dedit hoc ſolaminis ægræ;
Chara Piatori, Litauæ Reſpublica gentis,
Parce queri; longo tandem tę ſoluito luctu.
Balthiacas petat omnis aquas plangorq; dolorq;,
Principibus viduam qui nubilat hactenus vrbem.
Semper in hoc mundo miſcentur triſtia lætis,
Proſpera luctificis, infortunata ſecundis.
Alternare ſolent cum ſudo nubila cœlo,
Exercere tuos iuuat hac ratione colonos.
Sorte premente, Deo ſe dignos fingere diſcant.
Principibus binis, te læſit, ad æthera vectis,
Qui regit atherios nutu, quos condidit, orbes.

Prin-

principibus binis aliis, tua vota secutus,
Teq; tuosq; beat, recreatq; facillimus idem;
Eia age tristificis succedant gaudia curis.
Protinus haud adsunt; non cura remordeat hæc te.
Præses vterq; tui memor est, vbicunq; locatus.
Pontificẽ adducent tibi Martinalia sacra,
Diui Martini auspiciis, qui norma Sacrorum
Aurea Pontificum fuit, ipse Cathedran adibit.
Ceu diui auspiciis Dionysij is vnctus ad aram
Rite datum capiet sacri gestamen honoris;
Pallam, dactylion, lituumq; mitramq; bicornem,
Rege & Regina, quibus acceptissimus idem,
Semper erat, decoraturis Hierarchica sacra.
Cura Palatinum Polemarchica distinet ipsum.
Hostiles cuneos uigil hic à finibus arcet;
Atq; Smolenscanam tutatur prouidus Arcem.
Non patrem patriæ hæc pia sollicitudo sinebat
Dilecti nati deducere corpus humandum;
Num reuocabit eum decoramen honoris adaucti?
Contemptor lucis, contemptor honoris hic ingens.
Nempe Palatini titulum solius amore
Admisit Patriæ; ratus hîc par cedere Regis
Carolus imperijs, oneriq; subire molesto.
Omnis honos onus est. quantum huic, ô Patria, debes?
Tutelam huic debes, inimicorumq; repulsam,
Limitibusq; tenus, quæ res tibi chara, quietem.

PRO

Pro te ſeruanda, caput obiectare periclis,
Pro te, virifragos amat hic tot adire labores:
Pro te, tot fundos effundit opesq; paternas.
Tu Cor ei, vel ſi quid habes preciosius, offer.
Huius ad Antipodas volat, & ſuper æthera, virtus.
Et Carolvm chodkievicivm canit vltima Thule.
Æmulus hic magni Radiuili, ſacra propagat;
Virginibusq; virisq; ſacris ſacra limina condens;
Vt Carolostadivm, ſeu nota Cretinga loquetur;
Nuperus & quod fundauit krozense Lyceon,
Artidocis Patribus, natis formare iuuentam.
Ille tuam Vilnam recreabit, tempore verno;
Hîc vbi conſilium ſum̃is de rebus habebit.
Tempore pomifero Præſul, brumaq; propinqua,
Præſul vt aſtra prior petiit, tibi tædia tollet.
Incolumem tibi vtrumq; ducem pia numina ſeruent.
Dixit & ad Superos paribus ſe ſuſtulit alis.
His hilarata ouat exultim Reſpublica dictis,
Hortatur Litauos, Dominamq; ante omnia Vilnam,
Pontificemq; pari Palatinumq; paratu,
Excipere. Et paret lætiſsima Vilna, paratq;
Solennem Euſtachio, tumq; exhibet ordine pompam.
Anteeunt in equis proceres ciſiisue rotatis.
Ciuicus ordo pedes ſacra ſub ſua ſigna tributim.
Aſcetæ hinc varii; tum Clericus ordo ſecutus.
Sacratos inter proceres Antiſtes it ipſe.

Cādida Palla humeros, caput infula cādida velat.
Fausta gregi ille, crucem dextra formante, pre-
(catur.
Struxit honorificum flos huic Academicus arcū:
Vnde salutauit vario hunc discrimine vocum,
Angelico alloquio, fidibusq; tubisq; sonoris.
Eustachium inde dabat, sua per proscenia, Diuum.
Vrbs ouat hocce nouo, figitq; in Præsule vultum,
Oris honore graui, comi morumq; modesto,
Cui mentem decorat cum Pallade plurima virtus.
Vilna Sigismundo grates, sibi reddita, Regi,
Cum cunctis agit ordinibus, de Præside vtroq;.
Nacta Hierarchan, auet simul ora cupita tueri
Vilna Palatini. Mora ne qua sit, ocyus horas
Floricomi veris iubet approperare. Nec ista
Iussio vana. tepescit hyems, niuis algor ab imbre
Crebro victus abit: viror hinc, viror inde retectus.
Ante diem teneræ salices gemmascere visæ.
Purpurat & violis tellus aprica nouellis.
Virgineis noua serta comis aptantur & aris.
In calathos legit hasq; suos, per opaca recondens,
Villiadum chorus, optato, quas, mœnia Vilnæ
Ingrediente Palatino, per compita, spargant.
Iamq; optata dies aderat, cùm portitor Helles
Phœbum bis decies circum egerat Astra quaterq;.
Vilnam intrat Carolus procerum comitante caterua
Publi-

Publica quos plures rapuêre negotia Vilnam.
Consiliaturos, quo Regius ordine Princeps,
Quaue ope Moschouias sit is educendus in oras;
Imperium in magnum quod ei decreuit Olympus.
Quanta hic lætitiâ; quo Vilna fremebat ouatu;
Quis memorare queat? non si mihi carminis author
Delius inspiret numeros venamq; fluentem,
Maiestate pari verborum expromere possem;
Qua pompa ciues, quibus excepêre Camœnæ
Plausibus Heroem duce Pallade, quæ cor eidem
Dat sapiens, viresq; animi Fortissima virtus.
Mars quoq; spõdet opem, cumq; Hercule Martia pubes
Obsequiumq; suum. Soror Enceladiq; volucris,
Vulgatura decus Caroli nomenq; per orbem.
Pegma vbi pyramidale stetit, uisi vnde profari
Floribus Aoniis & versicolore papyro
Vestitur paries plateæ, quæ ducit ad Ædem
Summam, quam Carolus pia vota daturus adiuit.
Ille labor vatum, variis emblemasi, multâ
Laude, Palatini Mauortia publicat ausa.
*V*ilna quid vrbs? quod honorificũ dedit obuia pign9?
Obuia tota ruit, peditumq; equitumq; cateruis,
Quas claudit Thomas Digon, hoc Consul in anno:
*R*ite Palatinum, paucis præfata salutat;
Gaudia testificans plausu sonituq; tubarum;
Introducit eum, solioq; imponit acerno.

dat

Dat cataphractũ equitem, dat quadrifidãq; columnã;
Signa PALATINI quæ gestauêre priores:
Mentoreũ hinc dat opus, memorabile pignus honoris.
Scilicet aurum ingens; curas cratera fugantem,
Et mala Castrorum mersantem in amystide suaui.
Materiem superabat opus, namq; vndiq; signis
Asper imaginibusq; fuit: celata gerebat
Chodkieuiciadûm crater insignia facta.
Visitur hîc hominum & series longissima rerũm.
Eminet inter eos bello clarissimus Heros,
Progenitor CAROLI, ZASLAVSKA è matre, IOANNES:
Sospite quo DUCE militiæ Lithuania nullas
Hostiles metuit, namq; obstitit iste, procellas.
Cæsaris hic etiam Caroli insita prælia Quinti:
Vt quorum Chodkiewicius pars magna IOANNES.
Cernitur hunc Cæsar, pro tam prælustribus ausis,
Eximio COMITIS titulo decorare merentem;
Gryphemq; ensiferum supperaddere Stemati auito.
Cæsarei memor hic animi mentisq; benignæ,
Ferre dedit nato CAROLI prænobile NOMEN;
Teutonica quod voce virum sonat. Iste virum se
Pro patria præstat, mouet arma virilibus ausis;
Degener haud PATRIÆ virtutis & artis ACHILLES.
Rexq; Sigismundus, meritis pro talibus illum
Pergit honorificis titulis ornare gradatim.
Ordine quos rutilo crater ostendit in auro.

Hic

Hîc Samogitiacis dare iura iubetur in oris.
Exultans ouat hoc Samogitia præſide tanto.
Militiæ hîc Lithauæ imperium Rex mandat eidem,
Porrectu clauæ Lithauo applaudente Ducatu.
Et ſpectantur in hoc obitæ celamine pugnæ.
Moldauica, ante alias, Sario Duce, hic emicat ardens,
Primus inire alacer poſtremus ponere martem.
Dat ſtragem; Michaele ſtetit victoria fuſo.
Huius ope, Arx Kokenhauſenſis, cæſo hoſte reuenit.
Stant aliæq; vrbes Caroli virtute reductæ.
Derpatum obſidio, ſcanſo Pernauia muro;
Et ſtrata Manſfeldi acie, Dunamunda, Strategi.
Marte Sudermannus quas Carlvs habebat iniquo;
Liuoniæ populatus opes, regnoq; paterno
Legitimum (ſcelus) excutiens Regem atq; Nepotem
Victus hic amiſſa, ſtat vbi Kyrcholmia, pugnâ,
Cernitur hic in equo rapido ad ſua carbaſa ferri.
Flet uictor Chodkievicivs tot millia cæsa.
Hic ſub Reualiam duo millia, quinque ſub Album
Congreſſus Lapidem Sueonum de gente cecîdit.
Hîc deciesq; quaterq; illorum millia ſtrauit.
Cæſorum ingentes tumulos & Mentor aceruat;
In medio ſtatuens, inſcripto epigrammate, cippum.
Liuo, Sudermannus Dux vim tibi KAROLVS infert?
Vim CHODKEVICIVS KAROLVS, en, reprimit:
Ergo gubernator tuus ille fit, vt fuit vltor.
Huic alacris pare, quo Duce parta ſalus.

Moſco

Moſchouios aliâ videas in parte labores;
Atq; re ſeruatos, per aperta pericula, ciues,
Soluit hic obſidione ſuos bis terue Moſaiſci,
Paruo vbi fudiſſet cum milite millia centum.
Moſcua ſtaret adhuc Carolo ſub præſide fida,
Si non ſuppetiæ tunc ære manuq; deeſſent.
Ergo per hoplomachos ſtabiles vt parta tueri
Pergeret; hoſtiliq; illos retineret in orâ,
His precioſum abacum argentoq; auroq; nitentem
Diuidit ipſe ſuum, patrimonium vt antè profudit
In ſimiles caſus: adeò huic eſt patria cordi.
Præcipua ſed in hoc opere eminet arte Smolenſcum,
Regis Sigiſmundi decus ac illuſtre trophæum;
Vnde fames toties Caroli depulſa labore;
Impoſituſq; nouus, defenſo limite, miles.
Ergo canit Carolo Præconia iure Smolenſcum
Timoleon meus, inquit & hoſte, Camillus, abacto.
Iure Palatini Rex hunc & adornat honore.
Multa recuſantem; cuius vigilantia fines
Hactenus à Moſchis tutata fuiſſet aſilis.
Vere incunte, Vladiſlaum, CHRISTO auſpice, Natū
Se Rex Moſcouicas miſſurum ſpondet in oras,
Lechiadûm cinctum Litauûmq; fideliter armis:
Et confert in opus quod alacriter ille ſpopondit,
Sextus Aprilis erat, cùm Regius, alite fauſto,
Princeps Varſauiam, Patre deducente, reliquit.

Viſtu,

Vistula, Lechiadum Regina, hæc addit, aquarũ;
Ægre equidem sino te proficisci, Regie Princeps,
Lætum hac nauigerâ quem vexi sæpius vndâ;
Quo minor Æsonides, aurato vellere clarum.
Vade tamen, quò Fata vocant, Patriamq; tuere;
Atq; mihi Tanain, si debita posco, marita.
I, pete Moscouiam, pede, WLADISLAE, secundo;
Quosq; Comes CAROLUS procul hactenus arcuit hostes
Prosubige armipotens: tibi seruiat omnis vt Arctos.
Hæc vt ait, mox Vistuladum chorus assonat iô,
Viuat iô VVLADISLAUS pariatq; triumphos.
Iam verò tibi MAGNE Comes, quem nostra Camœna
Hoc decorare breui studet, officiosa, libello,
Pro patriaq; obitos, hilari, reuocare labores;
Dulce sit hoc inito meminisse in honore malorum.
Ne mala rere, quibus patriæ Ilias acta malorum,
Finibus à Patriæ toties quibus hostis & actus.
Gloria parta tibi, nomen, laus, culmen honoris:
Culmen, inocciduo Diuûm vt præludat Ho o.

CHRONOSTICHON.

VILna paLatInI tIbI fasCes, CaroLe, DeDIt,
IDVs AprILes ConsonA faCta notant.